



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

3 Vtrum totus sit sub qualibet parte specierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

creatio non attingit vnionem, sed ad illam præsupponitur: ergo similiter in præfente. In hoc dubio Marfilus in quarto quæstione octaua, articulo secundo, cenfer illas locutiones non esse admittendas: ego tamen nullum inconueniens in eis reperi: sed videntur à Patribus vsitatæ, & consentaneæ principijs positis in materia de Incarnatione: sicut enim Deus dicitur conceptus ex Virgine, quia corpus, seu humanitas, eodem instanti, quo ex Virgine procreata fuerant, assumpta sunt à Verbo diuino, quamquam actione distincta: ita dici potest Verbum in hoc Sacramento consecrari: quia caro CHRISTI, quæ hic consecratur, non terminat actionem verborum, vt in se subsistens, sed in Verbo: nam in eodem instanti, in quo incipit esse sub speciebus, incipit esse vnita Verbo. Patet consequentia à paritate rationis, quia vtraque est actio substantialis, quæ per se tendit ad rem subsistentem; & ideo illam proprie denominat: præsertim, quia nihil includit repugnans Verbo diuino secundum se, sicut creatio, eo vel maxime, quod licet ex vi verborum non significetur totus CHRISTVS, tamen de facto semper totus CHRISTVS constituitur sub speciebus per actionem verborum: & ideo recte dicitur consecrari: quia hoc nihil aliud est, quam per actionem verborum in sacramento constitui: quod autem de Christo simpliciter dicitur, potest etiam dici de Verbo. Atque hoc, certius & notius est de illis denominationibus, quæ supponunt consecrationem iam factam, vt sunt manducari, moueri, &c.

Tertio ex dictis constat, quid sit dicendum de diuinitate, prout significat proprie naturam diuinam ratione distinctam à Verbo. Dicendum est enim, esse specialiter modo in hoc Sacramento; vt est certum ex definitione Concilij Tridentini dicentis, diuinitatem hic esse, ratione admirabilis vnionis inter ipsam, & humanitatem. Nam, licet dixerimus, sub diuinitate Verbum comprehendere, non excludenda est, neque excludi potest ipsa natura, quæ propriissime diuinitatis voce significatur. Et ex ipsa sumitur clara ratio: quia Verbum diuinum intime, & essentialiter includit diuinitatem. Item, quia Christus dicit subsistere in duplici natura, diuina, & humana. Item, quia licet per vnionem hypostaticam proxime diuina natura vnita sit substantiæ diuinæ: hinc tamen simul ac necessario effectum est, vt duæ naturæ vnite sint in vna subsistentia verbi: non ergo potest hic esse totus CHRISTVS, & Verbum, ratione vnionis, quin fit etiam ipsa diuinitas. Vnde etiam concluditur, non esse hic ex vi verborum, sed per concomitantiam mediatam secundum rationem; ad eum modum, quo vnio hypostatica dicitur terminata immediate ad subsistentiam relatiuam, & consequenter ad naturam absolutam: sic enim concomitantia, quæ in hac vnione fundatur, proxime & immediate est respectu Verbi, consequenter vero, respectu diuinæ naturæ.

Quarto & vltimo constat ex dictis, quid dicendum sit de Patre & Spiritu sancto; an, scilicet, speciali titulo & ratione definat in hoc Sacramento: hoc enim dubium expediendum est ex alio principio posito in primo tomo, tractatu de Incarnatione, videlicet, quamuis vnio hypostatica nullo modo terminata sit ad Patrem, vel Spiritum sanctum, nihilominus, ratione illius effectum esse, vt Pater, & Spiritus sanctus speciali modo ac titulo sint in Christi humanitate, vel quia in ea singulariter operantur, vel quia necessario ibi adsunt, vbi adest diuinitas: cum ergo præfente concomitantia tota fundetur in hypostatica vnione, prædicto modo & ratione extendi potest ad has personas, & nulla alia via. Vnde nec verba habent vllam vim, vt speciali modo hic eas constituent, nec per sacramentales species significantur, nec ab actionibus sacramentalibus denominantur: non enim Pater offertur, Franc. Suarez. Tom. 3.

aut Spiritus sanctus manducatur, quia hæ personæ non sunt vnite humanitati per modum suppositi, licet propter naturalem connexionem, quam habent cum persona Verbi, mediante diuina natura, necessario sint vbi est illa, non tamen terminando eandem vnionem, in qua prædictæ denominationes fundantur. Quocirca, licet Pater, & Spiritus sanctus ob rationem superius factam dici possint esse hic per concomitantiam, aliter tamen, quam Verbum & Diuinitas, nam Verbum est immediate tanquam proprium suppositum humanitatis; Diuinitas vero secundum rationem quidem mediate, secundum rem autem immediate; quia est idem cum verbo, & in illo vere est humanitati vnita, Pater autem & Spiritus sanctus omnino mediate, etiam secundum rem, realiter enim distinguuntur à Verbo, & ideo cum humanitate non habent vnionem realem, sed solum intimam præsentiam, ratione iam dicta.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit totus **CHRISTVS** sub qualibet parte specierum panis vel vini. Species enim ille diuidi possunt in infinitum. Si ergo **CHRISTVS** totus est sub qualibet parte specierum prædictarum, sequeretur quod infinitus esset in hoc sacramento, quod est inconueniens; nam infinitum repugnat non solum naturæ, corp. suo, sed etiam gratia.

2. Præterea, Corpus **CHRISTI** cum sit organicum, habet partes determinate distantes: est enim de ratione organici corporis determinata distantia singularum partium ab invicem, sicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc non posset esse, si sub qualibet parte specierum esset totus **CHRISTVS**: oporteret enim, quod sub qualibet parte esset qualibet pars, & ita vbi esset vna pars, esset & alia. Non ergo potest esse, quod totus **CHRISTVS** sit sub qualibet parte hostiæ, vel vini contenti in calice.

3. Præterea, Corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec vnquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est, vt sit quantitas positionem habens, vt patet in **Prædicamentis**. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet quod diuersæ partes in diuersis partibus loci existant. Non ergo potest esse (vt videtur) quod totus **CHRISTVS** sit sub qualibet parte specierum.

Sed contra est, quod **Augustinus** dicit in quodam sermone; Refertur de Singulis accipiunt **Christum** Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex supra dictis patet, quia in hoc sacramento non substantia corporis **CHRISTI** est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensua ex vi realis concomitantia, ideo corpus **CHRISTI** est in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, per modum, quo substantia est sub dimensionibus; non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensua alicuius corporis est sub quantitate dimensua loci. Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter, siue sint dimensiones actu diuise (sicut cum aer diuiditur, vel panis secatur) vel etiam si sint actu indiuisa, diuisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est, quod totus **CHRISTVS** est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine, quæ apparet in speculo, quæ apparet vna in speculo integro, in speculo autem fracto, apparet singula in singulis.

singulis partibus. Quod quidem non est omnino simile, quia multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi, hic autem non est nisi vna consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod numerus sequitur diuisionem. Et ideo, quamdiu quantitas manet indiuisa actu, neque substantia alius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis. Et per consequens, neque infinities, sed toties, in quot partes diuiditur.

Ad secundum dicendum, quod illa determinata distantia partium in corpore organico, fundatur super quantitate dimensionum ipsius: ipsa autem natura substantia procedit etiam quantitatem dimensionum. Et ideo, quia conuersio substantia panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cuius modum proprie et directe est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum sue substantia, si ut dictum est.*

In corp. art.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de natura corporis, quam habet secundum quantitatem dimensionum.

In corp. &

art. I. huius q.

Dictum est autem, quod corpus Christi comparatur ad hoc sacramentum, non ratione quantitatis dimensionum, sed ratione sue substantia, sicut dictum est.*

In corp. art.

De materia huius articuli multa dicta sunt in superioribus disput. 48. vbi precipue tractauimus omnia, quæ in solutionibus argumentorum tangit D. Thom. cetera exponemus disput. sequente.

DISPUTATIO LII.

De his, que sunt sub singulis partibus specierum panis, & vini.

Disputat. 14.
de Eucharistia.



Iximus, totum Christum esse sub singulis speciebus panis & vini: quia vero ipsæ species extensæ sunt, partes habent, ideo necesse est, vt de ipsis etiam dicamus: quia vero hæ partes specierum esse possunt, vel diuisæ, vt sunt partes hostiæ post fractionem, vel continuæ, vel ante fractionem, quando aliquo indiuisibili termino copulantur, ideo dicemus prius de partibus diuisis, quia in eis res est clara: deinde de continuis: ac tandem de ipsis indiuisibilibus terminis quantitatis.

SECTIO I.

An totus Christus sit sub singulis partibus specierum, post earum diuisionem.

HÆC quæstio videri potest superflua suppositis his, quæ in præcedente disputatione dicta sunt: ostendimus enim, totum Christum esse sub singulis speciebus sacramentalibus panis, & vini: quod de singulis indiuiduis harum specierum necessario intelligendum est: quia nec Christus esse potest sub speciebus in communi seu abstracte sumptis; neque est maior ratio de vno earum indiuiduo, quam de alio: est ergo sub omnibus: sed hoc ipso, quod partes specierum sunt actu diuisæ, iam non sunt partes; sed tot sunt indiuidua, quot per diuisionem resultant: ergo nullus est locus quæstioni propositæ: constat enim ex superiori resolutione ita debere esse Christum sub his partibus diuisis: quemadmodum est sub singulis indiuiduis specierum sacramentalium.

Vt ergo quæstionis ratio & difficultas aperiatur, aduertendum est, tribus modis accidere posse, species sacramentales panis & vini esse actu diuisas: primo

ante consecrationem & in consecratione ipsa, ita vt distinctis etiam consecrationibus, seu verborum prolationibus consecrata fuerint, quomodo sunt distinctæ duæ hostiæ in distinctis sacrificijs consecratae, & de his potissimum intelligitur doctrina tradita in præcedente disputatione, & de eis maxime procedit ratio dubitandi hæc facta. Et accedit alia, quod per quamlibet formam totum Christi corpus, vel sanguis indicatur.

Secundo modo contingit, species esse actu diuisas ante consecrationem, atque etiam, dum consecrantur, in ipsa tamen consecratione vnica forma consecrari, vt, quando Sacerdos vnica verborum prolatione plures hostiæ, vel plures calices consecrat; & de his potest iam esse nonnulla maior dubitandi ratio: quia in hoc casu magis videntur hæ species partes vnius sacramenti, quam in priori, nam licet, ea consideratione, qua in superioribus dicebamus, totum Eucharistiæ sacramentum esse vnum tantum, possunt qualibet hostiæ actu diuisæ, & seorsum consecrata dici partes vnius sacramenti, tamen secundum se singulæ species illarum sunt integra & totales, quantum in præsentia materia esse possunt: at vero in hoc posteriori casu magis videntur partes vnius sacramenti, quia vnica forma informantur. Vnde etiam fit, vt per eam formam semel tantum indicetur, seu significetur totus CHRISTVS, vt sub illis omnibus speciebus contentus: & ideo maior esse potest dubitandi ratio, an sub omnibus illis speciebus simul sumptis totus CHRISTVS simul actu contineatur, vel toties, quot sunt species actu diuisæ. Nihilominus in hoc etiam casu certissima est resolutio superior tradita: totum scilicet, CHRISTVM esse sub huiusmodi speciebus singulis, vt a fortiori constabit ex his, quæ in tertio puncto dicemus. Et declaratur breuiter: quia sub singulis speciebus actu diuisis est aliquid corporis CHRISTI: ergo est totus CHRISTVS: antecedens constat, quia illæ omnes species manent consecratae, vt de fide constat ex vlti Ecclesiæ, & ex factis Christi, quia vnica verborum prolatione totum consecrauit panem, quem discipulis distribuit, & vt supra diximus, prius panem ipsum in frustra diuisit, vel si prius consecrauit, & postea diuisit, à fortiori idem inferri potest, vt iam dicam: ergo sub omnibus illis speciebus sic consecratis non manet substantia panis, sed corpus CHRISTI. Consequentia vero probatur: tum ex dictis de præsentia sacramentali corporis Christi: quæ, natura sua, ita est indiuisibilis, vt ibi totum constituat, vbi partem; tum ex dictis de concomitantia, quia non potest corpus Christi esse in frustra diuisum, saltem propter incorruptibilitatem suam, & realem partium vnionem; tum denique quia non est maior ratio, cur vna pars corporis sit sub his speciebus, quam alia: est ergo totum corpus sub singulis. Neque contra hoc obstat ratio dubitandi posita, tum quia licet huiusmodi hostiæ, seu species distinctæ per eandem formam consecrentur, tamen quatenus discontinuæ sunt & panis sub eis existens erat quoddam totum; dici possunt integra quædam indiuidua specierum sacramentalium, saltem physice, & ideo necesse est, sub illis totum Christum contineri, tum etiam quia, licet verum sit, illas esse partes vnius sacramenti, hoc ipsum est, quod cõtendimus, adesse totum Christum in partibus actu diuisis. Neque etiam refert, quod per vnica formam semel tantum in tota materia totus Christus designari videatur: quia ex vitalis forme manent singulæ hostiæ consecratae, & ideo de singulis tota forma verificatur, quia per totam illam, & per efficientiam eius cõsecrantur. Vnde fit, vt pronome, (hoc) quæuis totam illam materiam demonstret modum vnius cibi, tamen ex Christi institutione & debita ministri intentione non solum designet totam collectionem, sed etiam qualibet partem eius, ita vt illa sit, veluti indiuisibilis forma, tota in toto, & tota in sin-

in singulis partibus suo modo existens, & veritatem habens, vt magis ex sequentibus patebit.

Disputatio
in
quibus
partibus
Christi
manet
Christus

Tertio modo contingit, species esse actu diuisas solum post consecrationem, vt quando vna hostia continua, vel vnus calix prius consecratur, & postea frangitur seu distribuitur in plures; & tunc adhuc videtur esse maior dubitandi ratio; quia illa species ex vi prioris consecrationis non fuerunt species totales & integrae, & ideo ex principiis positis disputatione precedente non satis videtur colligi in singulis earum esse totum Christum. Nihilominus de fide etiam certum est, sub singulis partibus huiusmodi totum Christum contineri. Hoc enim sensu definit hanc veritatem Concil. Trid. sess. 13. can. 3. dicens, sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: quod prius docuerat Conc. Flor. in decreto Eugenij, & habetur etiam in c. Singuli, quod hic citat D. Thom. in argumento: Sed contra ex Augustino, est autem Ambrosij, vel Hieronymi, vel incerti auctoris, vt in decreto Gregoriano notatur. Vbi alia decreta referuntur. cap. Qui manducat. cap. Vbi pars. vbi Hilarius Papa dicit, figuram huius mysterij praecessisse in Manna, de quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus parauerat, habuit minus: non enim est quantitas visibilis in hoc aestimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis. Vnde Basiliius in epistola ad Caesarem Patritiam, Idem est, inquit, virtute, siue vnam partem quis accipiat, siue plures. & Eusebius Emisenus, hom. 5. de Paschate. Eucharistia sancta perceptio non in quantitate, sed in virtute consistit: nam corpus, Sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. & alia congerit Canisius in Catechismo, tit. de Eucharist. §. 8. Ratio vero est, quia post huiusmodi diuisionem & separationem factam, aut Christus definit omnino esse sub illis partibus diuisis, aut pars corporis eius sub vna specie, & pars sub alia, aut totus Christus sub singulis: primum & secundum dici non possunt: ergo necessario dicendum est tertium. Probatur prima pars minoris, primo ex facto Christi iuxta probabilem opinionem asserentem, prius consecrante, postea fregisse; quod saltem in speciebus calicis, videtur omnino certum: non enim duodecim calices consecrauit: nec in eodem calice toties consecrationem repetiuit, sed vnica consecratione eam quantitatem vini in vno calice consecrauit, quae omnibus sufficeret, quibus propterea dixit, Accipite & diuidite inter vos: singuli ergo sumendo partem specierum a reliquis partibus diuidebant; & tamen verum Christi sanguinem sumebant: ergo per diuisionem non amittunt species consecrationem, sed sub eis diuisis corpus & sanguis Christi manent. Hoc etiam confirmat vltus Ecclesia, nam in primis in Missa frangitur hostia, & nihilominus post fractionem quilibet pars consecrata manet: alioqui Sacerdos postea non acciperet corpus Christi, similiter solet frangi hostia ad communicandos fideles: reliquiae etiam, seu minimae particulae, quae interdum ab hostia consecrata cadunt & separantur, magna veneratione seruantur, aut sumuntur, tanquam Christi corpus continentes. De qua re multa in superioribus ex antiqua traditione adduximus. Ratio denique est, quia, dum consecratur hostia integra, omnes eius partes etiam consecrantur: neque enim posset consecrari totum, non consecratis partibus integrantibus ipsium, vt per se constat: sed per solam diuisionem non amittunt partes consecrationem: tum, quia, si in initio ipsius consecrationis diuisio iam facta fuisset, non impediret, quo minus fieret omnium illarum consecratio: ergo nec postea impedire potest, quo minus consecraretur: tum etiam, si sub illis accidentibus esset substantia panis, licet fieret diuisio, sub singulis partibus diuisis consecraretur panis substantia: ergo etiam consecratur corpus Christi. Patet Franc. Suarez Tom. 3.

consequentia ex quodam principio supra posito, & probato, disp. 46. tãdiu corpus Christi sub speciebus consecratis manere, quam diu sub eisdem naturaliter posset substantia panis conseruari. Altera autem pars minoris facile probari potest ex dictis in secundo pũcto: quia, nec corpus Christi potest esse in partes diuisum, neque etiam posset reddi ratio, ob quam magis vna pars esset sub vna parte speciei, quam alia, quod euidentiùs constabit ex sectione sequente: hoc enim pendet ex his, quae ibi dicemus: ita enim manet Christus in partibus diuisis specierum: sicut antea erat in eisdem coniunctis.

Solum potest hic oriri dubium, si pars aliqua specierum tam minima separaretur, vt sub ea non posset naturaliter substantia panis & vini conseruari. Quae res pendet ex alia philosophica quaestione, an huiusmodi Entia naturalia homogenea terminentur ad minimum: nam, supposita opinione hoc affirmante, recte dicitur consequenter, sub tali particula non manere Christi corpus: neque hoc repugnat superioribus dictis: quia illa particula proprie non esset pars specierum panis: supponendo autem, vt fortasse verius est, non dari terminum minimum in huiusmodi rebus, Maior in 4. d. 11. q. 3. adhuc docet posse separari tam minimam particulam specierum, vt sub ea non possit conseruari corpus Christi, quamuis posset conseruari substantia panis; vt verbi gratia, si tam sit minima, vt nullo sensu percipi possit. Sed haec sententia est falsa, & praeter generalem doctrinam fidei, seu quaedam exceptio eius sine fundamento: nam illud de perceptione sensus, est valde per accidens: nam satis est, quod illa res sit per se, & natura sua sensibilis, vt dictum est supra disp. 43. sect. 7.

SECTIO II.

Verum sit totus Christus sub singulis partibus inter se continuis.

Prima opinio est, in vna hostia integra semel tantum esse totum Christum, & partibus hostiae non totum corpus, sed partes eius respondere. Tribuitur Alciodoro sententia libr. 4. Summa tract. 5. c. 4. sed excusari posset, quia solum dicit, ante fractionem per se esse Christum in toto, & non in partibus: post fractionem vero per se etiam esse sub singulis partibus diuisis. Hanc vero opinionem plane supponit Albertus in 4. d. 13. art. 11. non enim probat, ante diuisionem, non esse totum Christum sub singulis partibus specierum, sed id potius supponit; & rationem inquit, cur post diuisionem sit totus in singulis partibus; & non asserit aliam rationem, nisi quia ante diuisionem solum significatur CHRISTVS per species continuas per modum vnus cibi; & ideo semel tantum est sub illis, post diuisionem vero significatur vt plures cibi; & ideo oportet, vt pluries etiam sit sub talibus speciebus. Confirmari hoc potest, quia hoc satis est ad veritatem formae, & ad omnem doctrinam fidei: non enim sine causa Concilia supra citata addunt illam particulam, (separatione facta) & alioqui hoc modo sit hoc mysterium facilius, & intelligibilius: quia non cogimur dicere corpus quantum esse totum in toto, & totum in qualibet parte absque vlla extensione in ordine ad locum: quod in hoc mysterio est difficilimum intellectum.

Secunda sententia est, ante diuisionem esse Christum in toto, & totum in singulis partibus, quae tantam habent quantitatem, vt si separarentur à toto, posset in eis conseruari substantia panis, in illis vero partibus minimis semel tantum esse CHRISTVM totum in toto, & partem in parte minore minima separabili. Tribuitur Alex. Alenf. 4. p. q. 46. membr. 3. art. 5. & Bonauen. in 4. d. 10. artic. 1. q. 1. Gabr. lect. 80. in Can. dub. 4. in fine: qui dicunt, totum Christi corpus non esse infinities in hoc sacramento, sed in aliquo numero finito: quia minima, ex quibus constat

tota hostia, sunt in aliquo numero finito. Et ita hæc opinio in eo, in quo cum præcedente conuenit, habet idem fundamentum, nam excusat prædictum inconueniens, & non admittit corpus absolute esse totum in toto, & in qualibet parte: neque quod sit omnino inextensum in loco. Quoad id vero, in quo hæc sententia differt à præcedente, fundari potest, quia in ea parte, sub qua totus Christus potest post separationem conseruari, est etiam totus ante separationem: quia separatio non mutat consecrationem, vt dicemus, sed potest totus conseruari in parte minima separata: ergo. Et hinc etiam potest altera pars probari, quia sub ea parte, sed qua non potest totus Christus conseruari post separationem, neque etiam est totus ante separationem, propter eandem rationem. Et præterea, quia ibi non potest esse substantia panis per modum totius: ergo nec etiam est, cur ibi sit totus Christus. Sed hæc sententia in eo, in quo à præcedenti differt, supponit falsam philosophicam sententiam de minimo naturali in aduocentis: & adhuc illa supposita, non est verisimilis; tum quia illa minima possunt infinitis modis designari, præsertim in pane & vino, quæ homogenea sunt: quia illa minima inter se communicant in partibus, quæ omnes sunt eiusdem rationis. Vnde non potest assignari ratio, cur totus Christus sit potius in hoc minimo, quam in illo, seu in tot minimis designatis hoc modo, potius quam in alio; tum maxime, quia, quando diuiditur hostia, possunt diuidi illa minima, quia pars minimi conseruari potest alius vnita: imo semper necesse est, vt aliquod minimum diuidatur secū dum aliquam designationem. Finge etiam hostiam constare tribus aut quinque minimis, & diuidi postea in partes æquales: conseruatur ergo postea corpus Christi in tota illa quantitate ex minimo & dimidio constante: quia in tota illa substantia panis conseruaretur; si ergo in vno minimo est semel totum Christi corpus, quomodo erit sub alia dimidia parte minimum? Itaque hæc posterior opinio incidit in omnes difficultates prioris opinionis, & augeat præterea multas, quibus satisfacere non potest: nam contingere sæpe potest vt fractio hostiæ fiat, diuidendo illa minima, in quibus iuxta hanc opinionem corpus Christi est totum in toto, & pars in parte: quare necesse erit, aut post diuisionem Christi corpus secundum aliquam partem esse sub aliqua parte specierum absq; integritate & coniunctione aliarum partium suarū, vel certe ratione diuisionis mutare totum modum existendi, quem in illis minimis habebat: & adhuc hoc non satis erit, quotiescunque hostia, quæ manet integra, non constat præcise ex tot minimis, sed præterea includit aliquam quantitatem minorem minima: quia dici non poterit, quomodo in illa sit corpus Christi. Supposita ergo aliqua extensione corporis Christi sub speciebus consecratis, minus verisimiliter loquitur hæc sententia, quam præcedens.

Christus in quibuslibet partibus hostiæ consecratae quantumuis exiguis totus existit.
S. Thom.
Richard.
Paludani.
M. or.
M. or.
Henric.
Egidius.
Henric.
Gabriel.
Hugo, Vico.
Trident.

Dicendum vero est, ante diuisionem specierum sacramentalium totum Christum esse in tota quantitate, & totum sub singulis partibus quantumuis minimis, & eiusdem quantitatis. Hæc est sententia communis Theologorum; tenet D. Thom. hic Scotus, Richard. Palud. Mai or, & alij in 4. d. 10. Marfil q. 7. art. 1. Henric. quodlib. 1. q. 5. Egid. quodlib. 1. q. 4. Heruæus quodlib. 1. ar. 3. Gab. lect. 43. in Can. & idem sentit Hugo Victor. li. 2. de sacram. part. 8. c. 11. Innocent. libr. 4. de hoc myster. cap. 8. Fauet Concil. Trident. nam licet Can. 3. addat particulam illam (separatione facta) tamen cap. 3. vbi eandem tradit doctrinam, illam omittit, simpliciterq; dicit: Totus & integer Christus sub panis specie, & sub qualibet ipsius speciei parte: totus item sub vini speciei, & sub eius partibus existit. Fauet deniq; varia decreta citata ex d. 2. de Consecrat. in quibus hæc veritas absolute, & sine prædicta limitatione docetur: & præsertim prædictum c. Vbi pars, ibi enim generatim dicitur, totum

Christi corpus adesse, vbi est pars eius: sed ante diuisionem sub qualibet parte specierum est aliqua pars corporis Christi: ergo ibid. est totum Christi corpus. Rationes autem huius veritatis variæ traduntur. Prima potest sumi ex dictis supra traditione 48. quia Christum existere hoc modo in sacramento, non est impossibile, vt ibi ostensum est: quia extensio in ordine ad locum est omnino extra rationem quantitatis, & posterior illa, atque adeo separabilis ab illa: de quo late Scotus, distinct. 10. quaest. 1. vbi Scotus, varias rationes congerit, quæ hoc ad summum, suadent; non tamen hoc sufficit ad inferendum, quod intendimus: quia etiam fuit possibilis alius modus, quem prima sententia docet, vt ex dictis in eadem disputatione constare potest. Et ideo addendum vltterius est, hoc non solum esse possibile, sed etiam decentius, magisq; consentaneum principis fidei. Hoc autem probatur, quia alias Christus esset extensus in ordine ad locum sub minori, & homogenea quantitate: hoc autem fieri non potuit conueniente ac decente modo: ergo. Sequela per se constat ex declaratione aliarum opinionum, quia nihil aliud esse extensum in ordine ad locum, quam habere totam quantitatem in tota quantitate loci, & partem in parte: minor vero probatur, quia, si magna quantitas corporis est sub minima quantitate specierum, necesse est, quod aliquæ partes corporis Christi sint per condensationem aut penetrationem ad eundem locum redactæ, licet aliæ inter se loco distent: quia alias impossibile esset, maiorem quantitatem in minimo spatio collocari, sed solum in adæquato, quod natura sua data est occupare: non enim alia de causa illud naturaliter occupat, nisi quia tot partibus æqualibus constat, & qualibet earum nata est occupare tantum locum distinctum à loco alterius: si ergo totum hoc integre seruetur, impossibile est, grande corpus ad minus spatium reduci: necesse est ergo, vt partes aliquæ illius corporis, vel condensentur, vel in eodem spatio penetrēt. Primum autem horum, scilicet, condensatio, repugnat incorruptibilitati corporis Christi, & naturali dispositioni eius: secundum autem etiam includit imperfectionem, nam cogitur contraria opinio admittere id, quod vitare intendebat, nimirum, quod partes corporis quanti inter se loco non distent: & alioqui hoc ipsum fieri dicit modo maxime materiali, & imperfecto. Atque idem argumentum fieri potest, si ponamus, fieri consecrationem vnus panis maioris quantitatis, quam sit corpus Christi: vt enim corpus Christi totam illam quantitatem occupet per vnā tantum præsentiam extensam, necesse est, aut corpus ipsum Christi rare fieri in se, aut aliquas partes eius constitui in pluribus locis partialibus, & sibi adæquatis: aliter enim concipi non potest. Accedit, quod, cum species panis sint homogeneæ, & nullam habeant determinatam figuram, sed possint esse, vel circulares, vel angulares, &c. Corpus autem Christi sic heterogeneum, & determinatæ figuræ, fieri non potest, secundum commensurationem & extensionem localem adæquate sibi respondeant, nisi corpus Christi, seu aliquæ partes eius in se mutantur, & indecente modo constituantur; vt possit totum ad figuram circularem adæquate redigi, aut, vt possit plures angulos panis implere, & alia huiusmodi. Possunt etiam hic afferri incommoda supra illata de variis positionibus corporis physici in ordine ad locum, & de partibus indecentibus, &c. Deniq; si hoc dicatur, nulla potest reddi ratio, cur vna pars corporis Christi sit potius in hac parte specierum, quam in alia, aut cur partes quedam corporis inter se penetrerent, & non alia, sed totum reuocandum erit ad Christi beneplacitum.

Secunda ratio principalis sumi potest ex dictis sententia præcedente; nam post diuisionem Christus totus est in singulis partibus: ergo ita erat ante diuisionem:

honem: sed licet diuisio procedat in infinitum, semper totus Christus erit in quibuscumque partibus diuisis: ergo etiam ante diuisionem totus Christus est in singulis partibus, quæ in infinitum diuidi possunt: probatur vtraque consequentia, sola separatio non mutat consecrationem, nec constituit corpus Christi, vel aliquam partem eius, vbi antea non erat. Atque idem argumentum è contrario fieri potest de continuitate: nam contingit, duas species consecratis in duplici calice, in vno coniungi & copulari, prius autem erat totus Christus in singulis illis speciebus: ergo & postea. nam propter solam continuationem non amittit Christus præsentiam, quam antea habebat, nec mutat illam. Respondere quis potest, separationem esse conditionem, sine qua non, vt Christus habeat repetitam præsentiam speciebus. Sed hoc est mere gratis & voluntariè dictum: nulla enim ratio huius necessitatis afferri potest. Quod præterea in hunc modum declaratur: nam, supra hostiam integra, potest Sacerdos solam dimidiam eius partem consecrare, vt supra dictum est: tunc ergo esset totus Christus sub illa dimidia parte: ergo, vt sit totus Christus in aliqua parte hostiæ, non oportet, vt sit actu diuisa. Rursum posset ibidem idem sacerdos alteram partem denuo consecrare: ergo etiam in illa esset totum corpus Christi: quia hoc etiam exigit veritas formæ: esset ergo totus Christus in singulis illarum partium, quamuis continuus. Idemque argumentum de quibuscumque aliis partibus fieri potest: quia, quod per plures consecrationes intelligitur fieri posse circa eandem materiam continuam, intelligendum est fieri posse per vnam: quia tam efficax est vna forma cadens in totam aliquam materiam, sicut plures, in pluribus hostiis diuisis, quæ tam efficaciter & integre vna forma consecrantur, sicut multis, vt ex dictis in præcedente sectione constat.

Vnde adiungi potest tertia ratio, fundata in vero sensu verborum formæ, vt ex modo conuersionis, quæ ex efficacia eorum sit ex pane & vino, quæ est materia remota in se homogenea, & eiusdem rationis in omnibus suis partibus. Verba enim æque cadunt in totam hanc materiam, & in quamlibet partem eius, & vi sua conuertuntur illam in corpus Christi: ergo æque conuertunt illam totam, & quamlibet partem eius in totum corpus Christi: ergo est totum corpus Christi in tota illa materia, & in qualibet parte eius. Maior declaratur, nam, quando profero, Hoc est corpus: &c. per illud pronomen æque designo totam hanc quantitatem panis, vt continet corpus Christi, nec magis deligo vnam partem, vt continentem caput, quam pedes: & sic de cæteris partibus: hoc ergo appello, indifferenter designare totum & partes. Hinc autem probatur, prima consequentia (cætera enim omnia clara sunt) primò, quia non est maior ratio, cur vna pars substantiæ panis conuertatur in hanc partem corporis Christi potius, quam in aliam: verbi gratia, in caput potius, quam in pedes, &c. Neque hoc potest ex intentione ministri determinari, vt per se manifestum est: absurdum est autem expectare semper, vt à Deo determinetur, cum effectus sacramentorum ex institutione certi debeant esse & definiti. Secundo, quia sacramentorum effectus significationi respondent, ac proportionati sunt: species autem sacramentales significant Christum, quem continent: & quælibet pars specierum indifferenter significat quamlibet partem corporis Christi, seu Christum ipsum, qui est panis vite: ergo indifferenter continent quamlibet partem, vel potius totum corpus Christi. Atque idem argumentum fieri potest ex parte formæ, vt dicebam: nam illud pronomen (Hoc) indifferenter indicat totam hostiam & partem eius: sicut, qui proferat eandem formam super plures hostias, indifferenter indicat singula, & earum aggregatum: sicut ergo quoad hoc, eadem est

ratio de partibus hostiæ continuis, vel disunctis, ita etiam quoad hoc, vt Christus sit in toto, & in qualibet parte, tam continua, quam disuncta.

Quarto loco addi potest ratio, quæ hic D. Thomas vsus est, eamque Scotus, Gabriel, Oham, & Aureol. impugnant, defendunt autem Capreolus. d. 10. qu. 2. & ibi Sorus, & Caiet. & Ferrar. 4. contra gen. cap. 67. eiusque expositionem ex commentario huc remitti, quæ ex ratione proxime præcedente pendet. Est autem hæc summa rationis D. Thom. In Eucharistia est per se, & ex vi verborum substantia corporis Christi, quantitas vero solum ex reali concomitantia: ergo totum Christi corpus in hoc sacramento ad eum modum est, quo substantia est sub dimensionibus quantitatibus, & non ad eum modum, quo dimensiones quantitatibus sunt in loco: sed natura substantiæ, tota est sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte suarum dimensionum: tota enim natura panis est sub qualibet parte specierum panis: ergo totum Christi corpus est ad eundem modum sub dimensionibus panis tam coactum, quæ diuisis: est ergo totum sub qualibet parte earum. In quo discursu duplex præcipua difficultas occurrit. Prima est circa illam consequentiam: substantia est hic ex vi verborum quantitas, per concomitantiam: ergo Christi corpus est hic per modum substantiæ: & non per modum quantitatibus: hæc enim consequentia, nec à D. Thoma probatur, nec per se nota est ex parte materiæ, & si ad syllogisticam formam reuocetur, fundata est in hoc principio: quod, quicquid est in hoc sacramento per concomitantiam, non est secundum proprium modum, sed ad modum alterius, quod ex vi verborum est: quod tamen videtur falsum, vt patet inductione, nam Verbum hic est per concomitantiam, & tamen non propterea est ad modum substantiæ corporeæ: & è contrario, substantia corporis est ex vi verborum, & tamen non est naturali modo, sed in Verbo. Item anima est per concomitantiam, & nihilominus est secundum modum suum, scilicet, spiritali modo. Itè ratione patet, quia quantitatem esse per concomitantiam, nihil aliud est, quæ naturaliter resultat seu comitari substantiam corporis Christi, ad quam per se terminatur conuersio, quæ sit virtute verborum: sed hinc non sequitur, debere quantitatem priuari suo effectu formalitè proprietate conaturali, vt patet in simili forma: nam etiã in creatione substantia corporis, vel materia per se terminat creationem, quantitas autem etiam hinc ibi per concomitantiam: concreatur enim, & resultat ex materia: seu tota substantia corporea: Ac tandem quamuis hic esset quantitas ex vi verborum, vt si consecratio fieret his verbis: Hoc est corpus meum sua quantitate affectum; nihilominus posset corpus Christi esse totum in toto, & totum in qualibet parte per conuersionem factam virtute talium verborum non est enim dubium, quin posset esse hæc Christi institutio: imò hæc esset magis accommodata mysterio, & significationi specierum, & ipsius formæ: è contrario vero, quamuis quantitas sit per concomitantiam, & transubstantiatio fiat per eadem verba, per quæ nunc hæc, potuisset corpus Christi non esse hic totum in toto, & in qualibet parte, sed cuius aliqua extensione, prout altera opinio affirmat: illud enim, quamuis de facto ita non sit, tamen non implicat contradictionem, sed ex institutione pendet: ergo principium illud, quod quantitas hic sit per concomitantiam, insufficientis est, & impertinens ad inferendum totum Christi corpus esse in qualibet parte.

Secunda difficultas est circa posteriorem partem rationis D. Thom. de modo existendi substantiæ sub dimensionibus: nec enim transitus æquiuocus à natura substantiæ ad substantiæ entitatem: quæ valde diuersa sunt, sub quantitate enim substantiæ materialis, & sub qualibet parte eius, dici potest esse tota natura, seu essentia talis substantiæ: & adhuc hoc non videtur vniuersaliter verum, sed tantum in substanti-

tis homogeneis: sic enim qualibet pars panis est panis, & pars vini est vinum: & ideo dicitur tota naturalis substantia esse sub qualibet parte dimensionum: in heterogeneis autem non ita est: non enim pars qualibet hominis est homo: loquendo autem de entitate substantia, etiam in homogeneis, non ita contingit, quod tota entitas substantia sit sub qualibet parte dimensionum, vel plane constet in pane, nam, licet pars dimensionum eius corrumpatur, non corrumpitur tota substantia panis, quoad entitatem eius, quamvis corrumpatur aliquid eius: non ergo tota entitas eius erat sub qualibet parte dimensionum: neque hic modus existendi est connaturalis aut debitus substantia, hoc solo quod substantia est, sed substantia spiritualis hoc habet ex se, quia spiritualis est, & partibus caret: materialis autem, quatenus materialis est, non postulat talem modum existendi, sed potius postulat naturam suam, ut non sit tota entitas eius, ubi est pars eius: quamvis ad hunc effectum obtinendum postulet etiam quantitatem, in praesente autem Corpus Christi, in quod sic conuersio, non succedit substantia spirituali, sed materiali substantia panis, cuius entitas non tota erat in qualibet parte dimensionum, neque hunc modum existendi natura sua postulabat: ergo, licet corpus Christi illi succedat, non erit tota entitas eius sub qualibet parte dimensionum panis.

Omitto alia argumenta, quae praedicti discipuli D. Thom. referunt, & solutiones eorum. Et respondeo breuiter, rationem D. Thom. non esse sumendam, ut absolute & per se demonstratiuam: in his enim mysteriis, quae ex voluntate, & omnipotentia Dei pendunt huiusmodi rationes petendae non sunt: est ergo conuenientissima ratio ad explicandam institutionem, quae facta est, & rationem eius. Ad hoc ergo sumitur illud principium: quantitatem esse hic per concomitantiam, & non ex vi verborum, non quia hoc sit simpliciter necessarium, ut totum Christi corpus sub qualibet parte specierum constituatur, nec quia hoc ex illo necessario consequatur, sed quia, illo supposito, facilius intelligitur, quantitatem accommodari substantiae & non esse conuersio, & ita facile patet responsio ad priorem difficultatem. Circa posteriorem vero explicare oportet, quid sit, esse per modum substantiae: argumenta enim supponunt, hunc modum esse modum praesentiae localis, quem substantia ex natura sua postulat: sed non est hic sensus D. Thomae, & ideo difficultas procedit ex falso fundamento. Corpus igitur CHRISTI esse hic per modum substantiae, nihil aliud est, quam recipere modum praesentiae, proportionatum naturae substantialem panis, nam, quia Corpus Christi succedit substantiae panis, & natura panis talis est, ut aequae sit tota in toto, & tota in qualicet parte suarum dimensionum, ideo recte D. Thom. colligit, totam substantiam corporis Christi debere esse sub qualibet parte dimensionum panis, quia substantia Christi incipit esse hic ex vi conuersionis panis in ipsam, quam verba ita efficiunt, ut absolute indicent totum corpus, & nihil aliud requirant, quam panem, ut ex illo Christi corpus efficiant. Nulla est ergo aequiuocatio in discursu D. Thom. non enim est necesse, ut tota entitas panis sit sub qualibet parte suarum dimensionum: sed solum ut tota natura panis sub illa sit, quia conuersio in totum corpus Christi per se non requirit tantam entitatem panis, sed simpliciter, panem, quem cum verba reperiant sub qualibet parte dimensionum, ibi totum Christi Corpus constituunt, quod absolute & indifferenter indicant. Igitur (vnico verbo) corpus Christi esse per modum substantiae, est, esse per illum modum, quo natura substantialis praexistens sub illis dimensionibus erat. Quod autem Christi corpus hunc modum habeat, colligendum est ex modo conuersionis, quem ipsa verba indicant: est enim magis consentaneus significationi eorum & ipsius

materiae, ut in superioribus declaratum est. Quod vero quantitas ipsius corporis Christi non impediat talem modum existendi ipsius corporis sub speciebus panis, sed potius induat & participet illum, optime declarat Diu. Thomas ex eo, quod verba per se primo, & ex institutione sua ad hoc tendunt, ut substantiam corporis Christi loco substantiae panis, & modo accommodato naturae illius, sub eius speciebus constituant: quantitatem autem solum concomitantem ponunt: & ideo, si naturalis, ac proprius modus quantitatis repugnat modo sacramentali, quem verba requirunt in substantia corporis Christi, non debet substantia propter quantitatem hoc modo priuari, sed potius est contrario, naturalis modus quantitatis impediri debet propter substantiam. Quocirca, licet necessarium non sit, ut id, quod est in hoc sacramento per concomitantiam, suo naturali modo priuetur, erit tamen hoc necessarium, quando modus connaturalis talis rei pugnat cum sacramentali modo, quem verborum forma, seu actio transsubstantiandi in suo primario termino requirit: atque hinc explicatur melius fundamentum rationis D. Thomae, magisque declaratur, & expeditur prior difficultas.

Sed quares, quam sit certa sententia & assertio à nobis confirmata. Bonauentura supra, solum dicit esse probabilior, & utilior ad fidem defendendam. Alentis autem dicit, esse veram & sanam doctrinam: sed hi duo auctores non loquuntur de existentia totius corporis Christi in omnibus partibus hostiae simpliciter, sed in qualibet parte minima: quo sensu, ut dixi, eorum opinio, non solum non est vera & sana doctrina, sed inter omnes opiniones est minus probabilis, alii ergo existimant sententiam à nobis confirmatam esse de fide, ut Ledesma hic, quae, ar. 3. dub. 4. & Palacius, in 4. d. 10. disp. 1. concl. 1. Sed argumenta, quae proferunt, vel solum probant de partibus actu diuisis, vel ad summum conuincunt esse conclusionem valde conformem principiis fidei. Itaque non existimo, rem esse tam certam, ut contraria sit haeretis: non enim sine causa Concilia Florent. & Trident. in propria & expressa fidei definitione addiderunt illam particulam: (separatione facta) sed illa plane addidisse videntur, ut à definitione fidei abstinerent, seu, ut definitionem suam limiterent. Unde non placet etiam, quod Soto dicit, tam certum esse, solum totum Christum esse sub qualibet parte specierum ante diuisionem, sicut post: nam oppositum colligitur ex praedictis Conciliis, & ex antiquis Theologis, qui non conseruerunt contrariam sententiam haeticam, post quorum tempora non est expresse damnata, ut haeretica, neque contraria de fide definita: est ergo conclusio nostra Theologica tam certa: ut contraria sit, vel erronea, vel errori proxima, ut hoc probant omnia, quae adduximus, & Concil. Trident. doctrina.

Ad fundamenta ergo primae sententiae respondetur: & in primis ad rationem Alberti, quod, licet per species continuas representetur Christus per modum vnius cibi, non tamen representatur, ut extensus, sed potius ut indifferenter existens in toto, & in partibus: neque enim vnitas cibi repugnat huic modo praesentiae: sicut etiam corporis humani vnitas seu continuitas indicat vniam animam, non tamen propterea indicat illam, ut extensam: potest enim esse vna, & tota in toto, & tota in qualibet parte. Ad confirmationem negatur, alium modum sufficere, aut apriorem esse ad doctrinam fidei declarandam, ut satis à nobis demonstratum est. Ad fundamenta secundae opinionis fere eadem est responsio, praeterquam ad illud inconueniens, quod Corpus Christi esset infinities repetitum in eadem hostia, ad quod responsum iam est in superioribus, cum D. Thomae, in 4. d. 10. q. 1. art. 3. quaestione 3. ad 1. Christum semel esse in actu, sub tota quantitate specierum: in potentia ve-

ria vero esse infinitas in singulis partibus, quod nullum est inconueniens: quia sicut partes continui sunt infinitae, ita possunt esse & partiales praesentiae, ut patet etiam in anima, quatenus tota in qualibet parte corporis existit. Vocatur autem haec infinitas in potentia, non quia Christus totus non sit reuera actu praesens singulis partibus, sed quia partiales illae praesentiae, licet sint totales ex parte subiecti, sunt partiales ex parte spatij seu quantitatis panis, & actu sunt inter se vnitae, vnamque integram praesentiam componunt. Et fortasse Alexander, Bonauent. & Gabriel, in re non dissentiunt, sed in modo loquendi: Gabriel concedit esse Christum in hostia infinitas syncategorematicae, & alij dicunt praesentias Christi in hostia tantum esse finitas in potentia, quia per diuisionem specierum solum possunt fieri praesentiae in actu plures, vsque ad certum numerum finitum, scilicet vsque ad totum minima, quae sunt in hostia: quia, si ulterius procedat diuisio, non conseruabitur ibi praesentia corporis CHRISTI in minoribus partibus aut in maiori numero praesentiarum: non tamen negant hi auctores, quamdiu illae minores partes sunt in toto, in eis esse totum Christum, & consequenter saltem per designationem, negare non possunt, quin in illis sit totus Christus infinitas in potentia; & hoc satis est ad mysterij veritatem: & in hoc sensu illa opinio Alensis in Theologia non continet errorem, sed solum pedit ex falso philosophico principio de termino quantitatis, quoad minimum in rebus homogeneis, quod nos non admittimus. Ex quo etiam facile responderetur ad vltimam rationem illius secundae opinionis, negatur enim esse in pane aliquam partem, sub qua ab alijs diuisa non possit substantia panis, & consequenter praesentia etiam Christi, conseruari: tamen, hoc etiam dato, negatur consequentia; quia, licet illae partes per se non sufficiant, ut in eis separatis sit totus Christus, vel tota entitas panis, tamen quando sunt in toto, sicut sufficiunt, ut in eis sit tota natura seu essentia panis; ita etiam, ut sit in eis totus Christus: quia propter modum conuersionis, & propter altioremodum praesentiae: quem habet, non potest esse praesens secundum partem, sed secundum se totum, sicut in corpore humano est aliqua pars minima, in qua separata non potest anima conseruari, tamen, quamdiu illa est in toto, necesse est, ut tota anima in illa sit propter modum entitatis, seu praesentiae, quem habet: sic ergo de corpore Christi philosophandum est.

SECTIO III.

Vtrum totum Christi corpus sit in terminis, seu punctis indiuisibilibus specierum panis.

Prima sententia negat, quam consequenter tenet Albertus in 4. d. 13. artic. 10. ex auctoribus vero, qui tenent, Christum esse in singulis partibus continuis, tenent hoc Scotus, d. 10. q. 9. d. 11. q. 4. paulo ante solutiones argumentorum, Richard. d. 10. artic. 6. q. 2. Egidius Theorem. 11. & 20. de Euchar. Duobus autem modis potest haec opinio fundari, & defendi. Primo, si negentur haec puncta indiuisibilia esse aliquid positum in rerum natura existens, affirmando praeter partium quantitatem solum addere designationem quandam, hoc enim supposito, manifestum est, nec totum Christi corpus, nec aliquid eius, esse sub huiusmodi punctis: nam Christus solum est, ubi aliquid substantiae panis fuit, vel saltem ubi manet aliquid quantitatis panis: si ergo punctum nihil est quantitatis panis, sed potius dicit negationem partium eius, non erit ibi Christus, sed potius erit etiam negatio corporis Christi. Sed, quamuis in hoc discursu, quoad illationem recte procedatur, tamen fundamentum, ut existimo, est in philosophia valde falsum: nam, licet haec puncta dicantur esse in potentia, & non in actu, ad eum modum, quo partes vnitae

dicuntur esse in potentia in continuo, & non in actu, in quibus locutionibus termini illi, in potentia, & in actu, sumuntur in ordine ad actualem diuisionem, non in ordine ad actualem existentiam, ita ut esse in potentia, non excludat esse in actu in rerum natura, sed excludat esse in actu diuisum, & separatum a toto; licet ergo puncta hoc modo dicantur esse entia in potentia: quia nec separata sunt a toto, nec naturaliter separari possunt; tamen negari non potest, quin in ipso toto aliquid entitatis habeant, quia totum ipsum aliquo modo componunt, partes eius terminando, aut copulando. Hoc ergo principio supposito, potest aliter citata opinio fundari. Primo, quia videtur impossibile, corpus in se extensum, & magnae molis cum tota sua organizatione: quantitate, & figura in puncto collocari. Secundo, quia substantia panis non erat in puncto, cum naturaliter extensa sit: corpus autem Christi solum succedit, ubi substantia panis erat. Tertio, quia alias posset Sacerdos solum indiuisibile consecrare, ut v. g. si intendat consecrare solum vltimam superficiem, quae sensibus immediate obijcitur, aut punctum, in quo hostia perfecte sphaerica tangit planum, & similia, quae videntur absurda. Quarto, quia alias, quoties fragitur hostia, sicut corrumpitur vna linea, vel superficies continuans, & resultant duae terminatae: ita Christi corpus amitteret praesentiam, quam habebat in priori superficie, & acquireret duplicem similem in duabus superficiebus; quod repugnare videtur superius dictis: quia propter solam separationem, nec praesentia mutatur, nec noua fieri potest, nisi per consecrationis verba. Et argumentum simile fieri potest, quando e contrario species consecratae, prius diuisae continuari incipiunt.

Dicendum nihilominus est, totum Christi corpus & sanguinem intrinsece, ac realiter esse in omnibus terminis & punctis specierum sacramentalium, non quidem per se primo, & adaequate, sed necessaria quadam consecratione. Ita docuit Capreol. in 4. sententiarum d. 10. q. 4. ar. 3. ad 2. Scoti, contra 1. concl. & Soto in 4. sententiarum d. 49. q. 4. art. 6. ad argumentum Durandi, ubi dicit non licere Theologo hoc negare. Et declaratur primo exemplo angeli, vel animae; quo D. Thomas & alij auctores in hac materia vtuntur; qui proinde videntur idem sentire, quamuis distincte non explicent. Angelus itaque cum praesens adest loco, totus in toto, & in qualibet parte, continua quadam praesentia, necesse est, ut sit etiam totus intrinsece praesens in singulis punctis illius spatij, seu loci continui: quia intelligi non potest, praesentiam angeli esse in se continuam, & vnitam, nisi simili modo respondeat omnibus partibus, & terminis alterius extremi: sic ergo in praesenti non potest corpus Christi esse continue praesens toti quantitati panis, nisi aliquid etiam corporis Christi sit intrinsece & realiter praesens omnibus terminis, punctis & illius quantitatis: ubi autem est aliquid corporis Christi, ibi est totum corpus, ut saepe dictum est. Responderi potest ex Richardo supra, dupliciter posse aliquid esse praesens puncto: vno modo intrinsece, quia est sub illo, ut ita dicam, quasi penetratiue, & hoc modo non est necesse, id, quod est totum in singulis partibus esse etiam totum in punctis, quia nec partes ipsae hoc modo contingunt puncta. Alio modo potest id contingere extrinsece, quia immediate ante adest, seu contingit punctum, sicut partes lineae, quae immediate continentur puncto, possunt dici esse praesentes illi: & eodem modo corpus Christi potest dici esse praesens omnibus punctis: quia, sicut indiuisibile additum non facit maius, ita non causat distantiam; & ideo, quod est praesens parti immediatae, potest dici esse praesens puncto. Sed hoc non satisfacit; tum quia in adducto exemplo de angelo, non satis est, angelum esse illo extrinseco modo in singulis punctis, sed etiam intrinsece per intimam praesentiam; tum etiam, quia hoc est omnino necessa-

Totum Christi corpus est in indiuisibilibus libris, quoad consecrationem vtuntur. Soto.

necessarium, ut ipsa præsentia totius corporis Christi sub speciebus panis sit in se continua, & vnita: habet enim illa extensionem quandam, & compositionem partium ex parte spatij, ut supra dictum est, oportet ergo, ut partes illæ aliquo communi termino copulentur, qui terminus ex parte spatij necessario futurus est indiuisibilis: alioquin non esset terminus, sed partibus conlaret: ergo illo necessario responderet, & est intime præsens alicui termino seu puncto specierum sacramentalium: habet ergo ibi Christus intimam & indiuisibilem præsentiam; & consequenter totus ipse ibi adest. Confirmatur ac declaratur: quia, nisi partes ipsius præsentia intelligantur sic vnite, necesse est, illam præsentiam esse diuisam in omnem suam partem: quod omnino repugnat: & id eo æque repugnat, esse totum Christi corpus præsens in omnibus partibus specierum, & non esse intime in omnibus punctis eorum.

Secundo declaratur exemplo durationis: nam si duratio angeli sine ulla interruptione coexistit temporis nostro continuo, necesse est, ut tota sit non solum in omnibus partibus nostri temporis, sed etiam in instantibus eius, nec potest mente concipi, quod duratio angeli coexistat omnibus partibus eius, & non etiam instantibus; aut, si alicui non coexistit, necesse est, ut saltem in illo interrumpatur duratio, ita ut in illo verum sit dicere, angelum non esse: idem ergo est in præsentia locali: est enim omnino eadem proportio quoad hoc, quod, sicut duratio angeli sine interruptione perseverat, quamdiu tempus continue discurrit, ita corpus Christi, seu præsentia eius continue diffunditur per totam quantitatem continuam specierum panis. Atq; hoc ipsum ex solutionibus argumentorum magis constabit.

Respondetur
ad argum.
1. Opinionis.

Ad primam ergo rationem alterius opinionis negatur, esse impossibile, corpus quantum in indiuisibili puncto collocari; quin potius impossibile est, Christi corpus esse totum in toto, & in qualibet parte absque propria penetratione & extensione in ordine ad locum, quin sit etiam in punctis, seu terminis, quibus partes specierum sacramentalium continuantur: quomodo autem hoc possibile sit, superius in disput. 48. fuisse tractatum est. Ad secundum argumentum responderetur; potius illo concludi contrarium, nam, si quantitas corporis, ut sit continua, indiget his terminis indiuisibilibus, necesse est, ut in ipsa substantia seu materia, aliqua indiuisibilia substantia illis proportionata respondeant; ut declarari potest applicando rationem factam; quia substantia materia existens sub quantitate, adæquate est illi coextensa, & altera alteri adiuicem est intime, & continue præsens: ergo necesse est, ut vbicunque est aliquid quantitatis, qualecunque illud sit, aliquid etiam materiae proportionate respondeat. Et confirmatur primo: quia præcisa quantitate, posset intelligi & conseruari substantia materiae, in qua, ut supra dixi, necessario manerent omnes partes entitatis, quæ antea præfuisent: quia illæ, cum sint distinctæ, non possunt in eandem coalescere indiuisibilem entitatem: manerent ergo partes entitatis distinctæ, & non iuter se omnino diuisæ [quia non est possibile, manere continuum diuisum in omnem suam partem]; ergo vnita proprijs substantialibus terminis, quia illa vnio non esset per modum actus & potentia, sed per modum integritatis entitatis, proportionate integritati quantitatis. Confirmatur secundo, quia cum quantitas secundum se totam sit accidens substantia, necesse est, ut ex parte substantia respondeat aliquid substantialiter & entitatis indiuisibile, quod sit proportionatum subiectu indiuisibilium quantitatis: sicut è contrario, quia albedo continue extenditur, & subiectatur, in superficie, necesse est, ut indiuisibilibus quætitatiuis ipsius superficiei respondeant in albedine aliqua indiuisibilia talis qualitatis, quæ in illis recipi possint. Hoc

ergo principio supposito, sequitur, aliquid indiuisibile materiae panis præfuisse sub indiuisibilibus terminis quantitatis eius, & cõsequenter aliquid etiam indiuisibile formæ substantiali panis: quia talis forma extensa est, & continue diffusa per totam materiam: quia nihil in materia intelligi potest, quod in pura potentia maneat sine substantiali actu proportionato: præfuit ergo aliquid substantiale panis sub indiuisibilibus terminis quantitatis, quod post factam transubstantiationem non manet, sed illi termini quantitatis sine proprio subiecto relinquuntur: ergo succedit sub illis corpus Christi, in quod conuertitur illud indiuisibile substantia panis, quod sub eis erat, quidquid illud sit: siue illud vocetur substantia, siue initium aut terminus substantia: hoc enim spectat ad modum loquendi, & ad præsens institutum parum refert, hoc vel illo modo loqui: nam, si panis vocetur, aperte sequitur conuertendum fuisse in corpus Christi; si autem solum appelletur terminus substantialis panis, dicendum est, consecutione quadam, & quati per concomitantiam, conuertitur corpus Christi: quia nec possunt partes omnes substantia panis conuertiri sine suis terminis substantialibus, nec potest huiusmodi terminus, conuertitur in aliquid corporis Christi, quin ibi adest totum. Ad tertium posset aliquis concedere sequelam, quia nihil contradictionis in eo casu inuoluitur. Quod si fortasse videretur inconueniens, etiam casus ibi excogitatus, est moraliter impossibilis, & satis indecens. Melius vero negatur simpliciter, seque, quia, ut dixi, Christus non est per se in his indiuisibilibus, sed quasi per concomitantiam, & ideo ablato eo, quod est per se, necesse est, quod concomitatur, auferri: sicut enim substantia materialis intrinsece postulat suam extensionem, & non habet indiuisibilia, nisi propter integritatem, & continuitatem in ipsa extensione: ita hæc Christi præsentia intrinsece & per se postulat extensionem in speciebus panis; in indiuisibilibus autem tantum est propter integritatem ipsius præsentia: quapropter in solis illis esse non potest, saltem secundum præsentem institutionem. Ad quartum responderetur, nullum esse inconueniens, mutata separatione seu continuatiõne specierum sicut mutantur termini ipsarum specierum, ita etiam mutari, aliquo modo, præsentia Christi, quoad terminos suos: quia hoc intrinsece, & ex natura restituitur ex illa separatione, vel continuatione: neque hoc est proprie mutari præsentiam, sed præsentem terminum: & ita hoc non repugnat superius dictis, vbi agebamus de præsentia simpliciter, vel per se, quæ absolute non pendet à continuitate, vel diuisione specierum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum tota quantitas dimensua corporis Christi sit in hoc sacramento.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod non tota quantitas dimensua corporis Christi sit in hoc sacramento. Dicitur scilicet, quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostie consecratae. Sed nulla quantitas dimensua tota continetur in aliquo toto, & in qualibet parte eius. Ergo est impossibile, quod tota quantitas dimensua corporis Christi continetur in hoc sacramento.

2. Præterea, impossibile est, duas quantitates dimensuas esse simul, etiam si vnæ sit separata, & alia in corpore naturali, ut patet per Philo. in 3. Metaph. Sed in hoc sacramento manet quantitas dimensua panis, ut sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensua corporis Christi.

3. Præterea, si due quantitates dimensue inæquales iuxta se ponantur, maior extenditur vltra minorem. Sed quantitas dimensua corporis Christi, est multo maior, quam quantitas dimensua hostie consecratae, secundum omnem dimensionem.